no rusticus videberis. In tantū necesse est vt sibi q̄q;
quisq; blandiatur, & assentiuncula quapiā sibi prius
commendetur, q̄ alij possit esse commēdatus. De-
niq; cum p̄cipua felicitatis pars sit, quod sis esse ve-
lis, nimirum toūum hoc præstat cōpendio mea Phi-
lautia, vt neminem suæ formæ, neminem sui inge-
nij, neminem generis, neminem loci, neminem in-
stituti, neminem patriæ p̄ceniteat, adeo ut nec Hir-
landus cum Italo, nec Thrax cum Atheniensis, nec
Scytha cum insulis fortunatis cupiat permutare.
Et o singularem naturæ sollicitudinem, vt in tanta
rerum varietate paria fœcit omnia. Vbi dotibus su-
is nonnihil detraxit, ibi plusculum Philautiæ solet
addere, q̄q; hoc ipsum stulte profecto dixi, cū hęc
ipsa dos sit vel maxima, ut ne interim dicam, nullū

C

MORIA

Belli causa
stulticia.

A nulla rō.

Socratis
stulticia

Egregium facinus adiri, nisi meo impulsu, nullas
egregias artes nisi me auctore, fuisse reptas. An
non omniū laudatorū facinorū seges ac fons est bel
ium? Porro qd stultius q̄ ob causas nescio q̄s, cer
tamen eiusmodi suscipe, vnde ps vtraq; semp plus
aufert incōmodi q̄ boni? Nam eorū q̄ cadunt velu
ti Megarensiū δυστελον Αδηοσ, deinde cū iam vtrinq;
constitere ferratae acies, & rauco crepuerunt cornua
cantu, q̄s oro sapiētū istorū vſus: qui studijs exhaus
sti, vix tenui frigidocq; sanguine spūm ducunt. Craf
sis ac pīnguibus opus est, qbus q̄ plurimū adfit au
daciæ, mentis q̄ minimū, nisi si quis Demosthenē
militem malit, qui Archilochi secutus consiliū, vix
conspectis hostib; abiecto clypeo fugit, tam igna
uus miles, q̄ orator sapiens. Sed cōsiliū (inqunt) in
bellis plurimū habet momēti. Egdem fateor in du
ce, v̄rē id qdē militare non philosophicū, parasit
is, lenonibus, latronibus, sicarijs, agricolis, stupi
dis, oberatis & huiusmodi mortalium fece, res tam
prēclara gerit, non philosophis lucernarijs, qui qui
dem q̄ sint ad omnē vitæ vſum inutiles, vel Socra
tes ip̄e vñus Apollinis oraculo sapiens, sed minime
sapienter iudicatus, documento esse potest, qui ne
scio qd publice conatus agere, summo cum omniū
risu discessit. Qz q̄ vir is in hoc non vſq; quaq; desis
puit, quod sapientis cognomē non agnoscit, atq; ip
si deo rescribit. Quodq; censet sapienti a rep. tractā
da abstinentiū esse, nisi quod potius monere debu
erat, a sapientia temperandū ei, qui velit in hominū
haberi numero. Deinde quid eūdem accusatum ad
cicutam bibendam adegit, nisi sapientia? Nam dū

ERASMI.

nubes & Ideas philosopharū, dum pulicis pedes me
tit, dum culicū vocem mirat, quae ad vitam cōtemat
tinent, non didicit. Sed adest p̄ceptorū de capite perī
clitanti discipulus Plato, egregius scilicet patronus
q̄ turbæ strepitu offensus, vix dīmidiatā illā perios
dum p̄nunciare potuit. Iam quid dīcam de Theos
phrasto? q̄ p̄gressus in concionem, repente obmū
tuit, pīnde quasi lupo conspecto, qui militem anis
masset in bello. Isocrates ob ingenij timiditatē, nec Isocrates.
hīscere vñq̄ est ausus. M. Tullius eloquentiæ Ro
manæ parens, sempīndecora trepidatōe, pīnde qua
si puer singultiens, exordīi consuevit. Idq̄ Fabius
interpretatur cordati oratoris, & periculū intelligen
tis argumentum. Verum cum hoc dīcit, an non pa
lam fatetur sapientiam obstare ad rem probe geren
dam? Quid isti facient cum res ferro geritur, qui tū
metu exanimantur, cum nudis verbis est decertan
dum? Et post hec celebratur si dijs placet, preclara il
la Platonis sententia, beatas fore respublicas, si aut
imperent philosophi, aut philosophentur Imperato
res. Imo si consules historicos, reperies nimirū nul
los reip. pestilentiores fuisse principes, q̄ si quando
in philosophastrum aliquem, aut literis addictū ins
ciderit imperium, cuius rei satis opinor faciunt fidē
Catones, quorum alter insanis delationibus reipu
tranquillitatem vexauit, alter libertatem. P.R. dum
nimium sapienter vindicat, funditus subuertit. Ad
de his Brutos, Cassios, Gracchos ac Ciceronē etiā
ipsum, qui non minus pestilens fuit Romanorum
reipu. q̄ Demosthenes Atheniensium. Porro M.
Antoniūs (ut donemus bonū imperatorem fuisse) A. Antoni⁹

Plato.

Theophr
stus,

Isocrates.

Cicero.

Catones

C ij

MORIA

a. a fini ad
lyram

Philosophi
res cōium
sunt impiti.

Timon

nam idipm extorqre possim (fuit em hoc ipso noīe
graui atq; inuisus ciuib; q tam philosophus eis
set). Sed tñ vt donemus fuisse bonis, at certe pestilē
tior fuit reip. tali relicto filio, q fuerat sua adminis
tratōe salutaris. Quandoqdem solet hoc hominū
genus, q sese sapientiae studio dediderūt, cū cæteris
in rebus, tum p̄cipue in liberis p̄pagandis infœli
cissimū esse, puidenter opinor natura, ne malū hoc
inter mortales latius serpat. Sed vtcūq; ferēdū, si tñ
ad publica munia forēt dvoi πρὸσ λύραν nisi ad oēm
pr̄fus vitæ functōem nihilo essent dexteriores. Ad
cōuiuiū adhibe sapiētē, aut tristi silentio, aut mole
stis qstiumculis obturbabit. Ad choz̄ aduoca, cas
melū saltare dices. Ad publicos ludos trahe, ipovul
tu, populi voluptatibus obstabir, & cogere theatro
migrare sap̄es Cato, qñqdem sup̄ciliū nō p̄t pone
re. In colloquum inciderit, repēte lupus in fabula. Si
qd emēdū, si cōtrahēdū, breuiter si qd eoꝝ agēdū,
sine qbus hec quotidiana vita trāsigi nō p̄t, stipite
dicas sapiētē istū, nō hoīem, vſq; adeo nec sibi, nes
q; patriæ, neq; suis vſq; vſui esse p̄t, ppter ea qd cōis
um reꝝ sit imperitus, & a populari opinione, vulga
ribusq; institutis longe lateq; discrepet. Qua qdē ex
re, odiū quoq; cōsequaf necessum est, nimirū ob rā
tam vitæ atq; animoꝝ dissimilitudinē. Quid em oī
no geris inter mortales, nō stulticiæ plenum, idq; a
stultis & apud stultos? Q; si quis vnuſ vniuersisve
lit obſtreperere, huic ego suaserim, vt Timonē imita
tus, in solitudinē aliquā demigret, atq; ibi ſolus ſua
fruat sapientia. Verū ut ad id quod institueram
reuerter, q vis ſaxeos & agrestes illos hoīes in ciui

ERASMI.

tatem coegit, nisi adulatio? Nihil em aliud significat illa Amphionis & Orphei cithara. Quae res, plebem Romanam iam extrema molientem, in concordia ciuitatis reuocauit. Num orō philosophica? Minime. Immo ridiculus ac puerilis apolodus de vêtre religio corporis membris confictus. Idem valuit The Themisto mistoclis apolodus consimilis de vulpe & eticio. q des. sapientis orō tantumdem potuisset, q̄tū cōmenticia illa cerua Sertorij potuit. Quantū Laconis illius de duobus canibus, dec̄ vellēdis equinæ caudæ pilis ridendū cōmentū. Vt ne qd dicam de Minoe, dec̄ Numa, quoꝝ vterq fabulosis inuentis, stultā multitudinē rexīt. huiusmodi nugis cōmouet ingēs ac potēs illa belua populū. Atrursum, quae ciuitas vnq̄ Platonis aut Aristotelis leges, aut Socratis dogmata recepit. Tū aut q̄ res Decijs p̄stasit, vt vltro se se dijs manibus deuouerēt? Quid. Q. Curtiū in spe cū traxit, nisi ianis gloria, dulcissima qdā Siren, sed mirum q̄ sapientibus istis damnata? Quid enim stultius inquiunt, q̄ supplicē cādidatū blādiri populo, congiarijs fauore emere, venari tot stultorū aplausus, exclamatōibus sibi placere, in triūpho vesluti signū aliquod, populo spectandū circūferti, cneum in foro stare. Adde his noim & cognom ad oportōes, adde diuinos honores homūcionē exhibitos adde publicis ceremonijs in deos relatōs, etiā sceles ratissimos tyrānos. Stultissima sunt hec, & ad q̄ redenda nō vnius sufficiat Democritus. Quis negat? Atq̄, hoc fonte nata sunt fortiū heroū facinora, quae tot eloquētiū virorū līris in cœlū tollunt. Hęc stultitia parit ciuitates, hac cōstant imperia, magistra:

C iiij

MORIA

tus, religio, consilia, iudicia, nec aliud omnino est via
ta humana quam stulticie lusus quidam. Nam vero, ut
de artibus dicatur, quod tandem mortalium ingenia, ad exco-
gitandas prodendasque posteris tot egregias, ut putatur, dis-
ciplinas excitauit, nisi gloriae sitis, tamen vigilijs, tan-
tis sudoribus, famam nescio quam, qua nihil esse per ina-
nius, redimendam putarunt hoies vere stultissimi. Sed
interim stulticie tot iam egregia vita cōmoda debe-
tis, quodque est longe dulcissimum, aliena fruimini ins-
ania. Ergo posteaq; mihi fortitudinis & industriæ
laudem vindicauimus, quod si prudentiae quoque vindicemus.
Sed dixerit aliquis eadē opera igne aquæ misceas licet.
Vix hoc quoque successus arbitror, si vos modo quod an hac foecistis, auribus atque animis fauebis-

De prudē-
bus & sapienti-
bus.

Factum vero p̄ex se, λέτε μήπως έγώ. Sunt enim duo principia ad
famus cog-
nitionem reorum parādā obstacula. Pudor q; sumum
mouit.

magis cōpetet sapientē, quod primus ob pudorem, prius ob
animi timideatē nihil aggreditur, an stultū, quem neque
pudor, quo vacat, neque pīculū, quod non p̄pedit, ab illa
re deterret. Sapientis ad libros veterum cōfugit, atque hīc
meras vocū argutias ediscit. Stultus adeūdis comi-
nusque pīclitādis rebus, verā ni fallor, prudentiā colla-
git. Id quod vidisse videret Homerus, etiā si cecus, cū ait
cognitōem reorum parādā obstacula. Pudor q; sumum
offundit animo. & metus, q; ostendo pīculo, dehor-
eat ab adeūdis facinoribus, at his magnifice liberat
stulticia. Pauci mortales intelligunt, ad quā multas alio-
as quoque cōmoditates cōducat, nuncque pudeſcere, &
nihil non audere. Quod si prudentiā accipere malunt, eā
quae reorum iudicio cōstat, audite obsecro, quā pīculū ab-
sunt ab hac, qui hoc nomine sese venditant. Prin-

ERASMI.

cipio constat res omnis humanas velut Alcibiadis
Silenos, binas habere facies, nimirum inter se se dissimiles, adeo ut quod prima (quod autem) fronte mors est,
si interius inspicias, vita sit, contra quod vita, mors.
Quod formosum, deforme, quod opulentum, id pauperissimum, quod infame, gloriosum. quod doctum, in-
doctum. quod robustum, imbecile. quod generosum, ignobile. quod laetum, triste. quod prosperum, aduersum. quod amicum, inamicum, quod salutare, noxiuum, breuiter oia
repente ysa reperies, si Silenus aperueris. Id si cui forte
tenimis philosophice dictum videtur, age, pinguiore
(quod autem) Minerua planius facias. Quis regem non
& opulentum, & dominum fateatur, atque nullis animi bonis in-
structus est, atque nihil illi satis est, iam videlicet pauper-
issimus est, tum enim habet plurimis addictum vicijs
iam turpiter seruus est. Ad eundem modum in caete-
ris quoque philosophari licet, sed hoc exempli vice
posuisse satis sit. At quorsum hec inquiet aliquis?
Audite quo rem deducamus. Si quis histrionibus
in scaena fabulam agentibus, personas detrahere co-
netur, ac spectatoribus veras nativasque facies ostendere, nonne is fabula omnem puerterit, dignusque ha-
beat, quem oes et theatro veluti lymphatum, saxis ejus-
ant. Exorietur autem repente noua rex spes, ut quod mo-
do mulier, nunc vir. qui modo iuuenis, mox senex
que paulo ante rex, subito Dama, que modo deus, repente ho-
munculus apparet. Verum eum errorē tollere, est fabula
omnem perturbare. Illud ipsum segmentum & fucus
est, quod spectatorum oculos detinet. Porro morta-
lium vita omnis, quid aliud est, quam fabula quepis-
am: in qua alij alij obiecti personis, procedunt,

C iiiij

MORIA

aguntq; suas quisq; partes, donec choragus educat
e pscœnio, q sœpe tamen eūdem diuerso cultu pdt
re iubet, vt q modo regem purpuratū egerat, nunc
seruulū pannosum gerat. Adumbrata qdem om̄ia,
sed hæc fabula non aliter agitur. Hic si mihi sapiens
aliquis cœlo delapsus, subito exoriat, clamitetq; hūc,
quē oēsvt deū ac dñm suspiciunt, nec hominē esse,
quod pecudū ritu dueat affectibus, seruum esse ins-
fimum, q tam multis tamq; foedis dominis sponte
seruiat. Rursum aliū q parentē extinctū luget, ride-
re iubeat, q iam demū ille viuere coepit, cū aliquoq
vita haec nihil aliud sit q̄ mors qdam. Porro alium
stemmatiſ gloriante, ignobilē ac nothū appelleat, q
a yture longe absit, quæ sola nobilitatis sit fons, ad
q; eūdem modū de cæteris omnibus loquatur, que
so qd is aliud egerit, nīsi vt demens, ac furiosus om-
nibus esse videat. Vt nihil est stultius p̄postera sapi-
entia, ita puerfa prudentia nihil imprudentius. Siq
dem puerse facit, q seſe non accommodet rebus p̄-
sentibus, forocq; nolit vti, nec saltem legis illius cō-
uiuialis meminerit κπ̄ισι, κ ἀπ̄ισι postuletq;, vt fa-
bula iam non sit fabula. Contra vere prudentis est,
cū sis mortalís, nihil vltra sortem sapere velle, cum
q; vniuersa hominū multitudine, vel conniuere li-
benter, vel comiter errare. At istud ipsum inquiunt
stulticie est, Sed illud odi immortales eloquar ne
an fileam? Cur autem fileam, cum sit vero verius?
Sed pr̄stiterit fortassis in re tanta musas ex Eliso-
ne accersere, quas Poetae s̄apius ob meras nugas,
aduocare solent. Adeste igitur paulisp; Iouis
filiae, dum ostendo, nec ad egregiam illā sapiētiām

ERASMI.

ac felicitatis (ut ipsi vocant) arcem aditū esse cuiq;
nisi stulticia duce. Jam primū illud in confessō est,
affectus omnes ad stulticiā p̄tinere, quandoquidē
haec nota, a stulto sapientem discernunt, quod hunc
affectus, hunc ratio temperat. Eoq; Stoici perturba
tiones omnes ceu morbos, a sapiente semouēt, ves
tum affectus isti non solum paedagogorū vice fun
guntur, ad sapientiae portum p̄perantibus, verum
etiam in omni virtutis functōe, ceu calcaria stimuli
q; quidam adesse solent, velut ad bene agendū ex
hortatores. Q; hīc fortiter reclamat, bis Stoicus
Seneca, qui prorsus omnem affectū adimit sapien
ti, verum cum id facit, iam ne hominem qdem relin
quit, sed nouum potius deum quendam *Aphrodite* *i. fabricat.*
q; nec extitit vnḡ nec extabit, imo vt apti
us dicam, marmoreū hominis simulachrū constitu
it, stupidum & ab omni prorsus humano sensu ali
enum. Proinde si libet i p̄ suo sapiente fruantur, ci
traq; riualem ament licet, cūq; eo vel in ciuitate Pla
tonis, vel si malint, in Idear̄ regione, vel in Tanta
lijs inhabitent hortis. Quis em̄ non istiusmodi ho
minē, ceu portentum ac spectrū fugiet, horreatq; q; ad
omnes naturae sensus obsurduerit, qui nullis sit
affectibus, nec amore, nec misericordia magis com
moueatur, q; si dura silex, aut stet Marpesia cautes,
quem nihil fugiat, qui nihil erret, sed ceu Lynceus
q; spiam, nihil non p̄spiciat, nihil non adamassim p̄
pendat, nihil ignoscat, qui solus seipso sit contētus,
solus diuies, solus sanus, solus rex, solus liber, om
nia solus, sed suo solius iudicio, qui nullum moret
amicū, ip̄e amicus nemini, qui dij̄ quoq; ipsis non

C v

MORIA

De miseria
humana.

.iharenam
metiri.

dubitet mandare laqueum, qui quicquid in omni vita geritur, velut insanum damnet, rideatq;. Atqui huiusmodi animal, est absolutus ille sapiens. Quæso si res agas suffragijs, quæ ciuitas istiusmodi magistratum sibi velit, aut quis exercitus talem optet ducem, immo quæ mulier id genus maritum, quis coniuuator, eiusmodi coniuam. quis seruus talibus moribus dominū, vel optet vel ferat? Quis aut non malit, vel vñquemvis de media stultissimorū hominum plebe, qui stultus stultis, vel impare possit vel parere, qui sui similibus placeat, sed q; pluri mis, qui comis sit in uxorem, iucundus amicis, belius coniuua, coniuctor facilis, postremo qui nihil humani a se alienum purer. Sed me quidem sā dudum istius sapientiā piget, quare ad reliqua comoda sese recipiat oratio.

Agedū si quis velut e sublimi specula circumspicit, ita ut Iouem Poetę facere prædicant, quot calamitasibus hominum vita sit obnoxia, q; misera, q; sordida natiuitas, q; laboriosa educatio, quot iniurijs exposita pueritia, quot sudoribus adacta iuuētis, q; grauis senectus, q; dura mortis necessitas. deinde in omni vita, quot morbo um agmina infestent, quot immineant casus, quot ingruant in commoda, q; nihil usq; nō plurimo felle tinclum, vt ne commemore ista que homini ab homine inferuntur mala, quod genus sunt paupertas, carcer, infamia, pudor, tormenta, insidiæ proditio, conuictia, lites, fraudes. Sed ego iam plane τὸν ἀριθμὸν ἀνακετεῖν aggredior. Porro quibus admissis ista commeruerint homines, aut quis deus iratus, eos in has miseras nasci cogerit, non est mis

ERASMI.

hi fas in præsentia proloqui. verum ista qui secum
perpendat, nonne Milesiarum virginum probabit
exemplum, etiam si miserandum? At qui nam po-
tissimum sibi vîte tedio fatum accersiuere? Nonne
sapientiae confines, inter quos, ut interim Dioge-
nes, Xenocrates, Catones, Cassios ac Brutos sileā,
Chiron ille cum immortalem esse liceret, vltro mor-
tem preceptauit. Videlis opinor, quid futurum sit,
si passim sapiant homines. Nempe altero luto, alte-
ro figulo Prometheus opus fore. Verū ego partim
per ignorantiā, partim per incogitantiam, nonnun-
q̄ p̄ obliuionē malorum, aliquando spem bonorū,
aliquoties nonnihil mellis voluptatibus aspergens,
ita tantis in malis succurro, ut ne tum quidem libe-
at vitam relinquere, cum exactio parcarum stamine
ipsa iam dudum eos reliquit vita, quoq̄ minus sit
causa, cur in vita manere debeant, hoc magis iuuat
vivere, tantum abest, vt ullo vitæ tedio tangantur.

Mei nimirum muneris est, quod passim Nesto
rea senecta senes videtis, quibus iam ^{tuis deside-}
re species q̄ nū insenib⁹
dem hominis superest, balbos, deliros, edentulos,
canos, caluos, vel vt magis Aristophanicis eos des
Sordentes. scribam verbis γίπωντας καφιστάλιον γίσσον τυρους, mi-
μηλόντας ναλοισ και ταλοισ, tamen vsc⁹ adeo vi-
seros, rugo-
ta delectari, adeo φεχνήν, ut alius tingat canos, edentulos, &
alius appositicia coma caluitium dissimulet, alius recuntos v̄
dentibus vtatur mutuo fortassis a sue quopiā sum⁹ impudētes,
ptis, hic in puellam aliquā misere depereat, & ama iuuenitler-
toris ineptijs, quemuis etiam superet adolescentus ineptire
Iam. Nam vt capulares iam, metaq̄ silicernia, tene-
ram aliquam iuuēculam ducant vxorem, eamq̄ &c

Chiron

MORIA

De mulieri-
bus vetulis. indotatam, & alijs usui futuram, id adeo frequens,
vt p̄p̄emodum, & laudi detur. Sed multo etiā
suauius, si quis animaduertat anus lōgo iam senio
mortuas, adeoq; cadaverosas, vt ab inferis redisse
videri possint, tamen illud semp̄ in ore habere φῶσ
& οὐδεὶς adhuc catullire, atq; vt græci dicere solent &
προῦν, & magna mercede conductū aliquē Phaonē
inducere, fucis assidue vultum oblinere, nusq; a spe
culo discedere, infimæ pubis syluam vellere, vietas
ac putres ostentare māmas, tremulocq; gannitu, lan
guentem sollicitare cupidinē, potitare, misceri puel
lae choris, literas amatorias scribere. Ridentur hec
ab oībus tanq; (uti sunt) stultissima. At ipē sibi plaz
cet, & in summis interīm versant̄ delicijs, totasq; se
se melle perungunt, meo videlicet beneficio sceli
ces. Porro q̄bus hec deridicula videntur, illud secū
expendant velim, utrum satius ducant huiusmodi
stulticia vitam plane mellitam exigere, an trabē (ut
aiunt) suspendio querere? Porro q̄ hec vulgo putā
tur infamiae obnoxia, istud nihil ad stultos meos, q̄
malum hoc aut non sentiunt, aut si qd sentiunt, fa
cile negligunt. Si saxum in caput incidat, id vere ma
lum sit. Cæteræ pudor, infamia, pbrum, maledicta,
tantū adferunt noxæ, quantū sentiunt, si sensus ab
sit, ne mala qdē sunt. Quid ledit, si totus populus
in te sibiles, modo tute tibi plaudas? Atq; vt id lices
at, sola stulticiā p̄stat. Sed mihi video audire
reclamātes philosophos. Atq; hoc ipm est (inquit)
misericordia, stulticia teneri, errare, falli, ignorare. Im
mo hoc est hominem esse. Porro miseri curvovent
non video, quandoqdem sic nati estis, sic instituti,

Quid sit misericordia
est

ERASMI.

Sic conditi, ea est cōmuniſ omniū ſors. Nihil autē miſere, quod in ſuo genere conſtat, niſi forte quis ho-
minē deplorandū exiſtimet, q̄ neq; volare poſſit cū
auibus, neq; quaternis ingredi pedibus cū reliquo
pecudū ḡnē, neq; cornibus fit obarmatus quēadmodū
tauri. Verū is eadē oga equū etiā bellissimū,
inſoſelīcē vocabit, quod neq; grāmaticā didicerit, ne
q; placētis veſcat. taurē miſere, q; ad paleſtricā ſit in
utiſis. Igī ut equus imperitus grāmaticae miſer nō
eſt, ita nec homo ſtultus inſoſelīx, ppter ea q; hec cū
illius natura cohārēt.

Verū rurſus virgēt logoſ dædali. Eſt (inqunt) homini peculiарiter addīta diſciplināe cognitio, quaq; ad miniculis id qd' natura
diſminutū eſt, ingenio pēſet. Quasi vero vllā veri fa-
ciem habeat, naturā quae in culicibus atq; adeo in
herbis ac floſculis tā ſollicitē vigilauerit, in uno ho-
mine dormitaffe, vt diſciplinis opus eſſet, quas Teu-
thus ille hūano ḡni inſenſus geniū, in ſumma pni-
cipli excogitauit, adeo nō vtileſ ad ſoſelītate, vt illi
quoq; ipi officiāt, ad qd' ppter repte dicunt, vt ele-
gāter arguit apud Platonē rex ille prudētissimus de
līra inuēto. Igī diſciplināe cū religiō hūanāe vitē pe-
ſtibus, irrepferūt, iſdē auctoribus a qbus oīa flagi-
cia pſificunt, puta dæmonibus, qbus hinc nomē
etiā inuētū, quasi Λεξιμονος, hoc eſt ſcientes, appelle-
les. Siqdem ſimplex illia aurei ſæculi gens, nullis ar-
mata diſciplinis, ſolo naturē ducitu inſtinctuq; viue-
bat. Quorūm eīm opus erat grāmatica, cū eadē eēt
oibus lingua, nec aliud ſermone petebat, niſi vt ali⁹
ali⁹ intelligeret: Quis uſus dialecticę, vbi nulla erat
pugnantū inter ſe ſentētias dimicatio? Quis Rhe-

Logodēdali

MORIA

torice locus, cum nullus alteri negotiis faceret.
Quorsum requireret legum prudentia, cū abessent
mali mores, ex qbus haud dubitate bonae leges pro-
gnatae sunt. Porro religiosiores erāt, q; vt impia cu-
riositate arcana naturae, sydeꝝ mensuras, motus ef-
fectus, abditas reꝝ causas scrutarent, nefas esse ra-
ti, si homo mortal is ultra sortem suā sage conaret.
Iam qd extra cœlū esset, ingredi dementia, ne in
mētem qdem veniebat. At labente paulatim ætatis
aureæ puritate, primū a malis vt dixi, genijs inuictæ
sunt artes, sed paucæ, atq; hæ qdem a paucis rece-
ptæ. Postea sexcentas addidit Chaldeorū supstitio,
& Græcorū octoſa leuitas, meras ingeniorū cruceſ,
adeo vt vel vna grāmatica, abūde fatis sit ad ppetuā
vitæ carnificinā. Q; q inter has ipas disciplinas, hæ
potissimum in pcio ſunt, q ad ſenſum cōem, hoc ē ad

*De medicis
i. ſolus vir
medic⁹ mul
tis viris eq
pollet.*

ſtulticiā q; pxime accedūt. Esuriūt theologi, frigēt
physici, rident astrologi, negligēt dialectici. Solus
iatrōs ἀνθρώποι πολλῶν ἀνταξιοῖς ἀνθρώποι. Atq; in hoc
ipso gñe, quo qſq; indoctiōr, audaciōr, incogitatiōr
q; hoc pluris fit etiā apud torquatos iſtos principes
Atq; medicina (ſi Platonī creditiſ) nihil aliud eſt,
q; quinta aſſentatōis particula. Sed m̄ hos pximus
datur locus leguleis, & haud ſcio an p̄imus, quoꝝ
pfeſſionē ne qd ipſa p̄nunciē, velut aſinīnā philoſo-
phi magno cōſensu ridere ſolent. Sed tñ horū aſino-
rum arbitrio, maxima, minimaq; negocia tranſigū-
tur. His latifundia crenct, cum theologus interim
excūſis totius diuinitatis ſcrinijs, lupinū arrodit, cū
cimicibus ac pediculis aſſidue bellū gerens. Ut igit
fœliciores ſunt artes, quæ maiore habent cum ſtū-

Leguli.

ERASMI.

ticia affinitatem, ita longe fœlicissimi sunt ij, qbus
pt̄sus l̄cuit ab oīm disciplinarye commercio absti-
nere, solāq; naturā ducē sequi, quē nulla sui pte mā
ca est, nisi forte mortal is fortis pomeria trāsilire veli-
mus. Odit natura fucos, multoq; fœlicius puenit,
quod nulla sit arte violatū. Agedū, an nō videtis ex
vnoquoq; reliquoq; aiantiū gñe ea fœlicissime de-
gere, q; sunt a disciplinis alienissimā; nec vlliū ma-
gisterio n̄si naturæ ducunt? Quid apibus aut fœli-
cius, aut mirabilius, at his nec corporis qdem omnes
sensus adsunt. Quid simile in extruendis ædificijs
reperiatur architectura? Quis vnq; philosophus simi-
lem instituit remp.: Rursum equus, qm̄ humanis
sensibus affinis est, & in hominū contuberniū de-
migravit, humanae item calamitatū est particeps. Equifelices
Quippe q non raro dum vinci pudet in certaminis
bus, ducitilia, & in bellis dum ambit triumphum,
confodit, simulq; cū sessore terrā ore momordit. Ut
ne cōmemorem interim, lupata frena, aculeata cal-
caria, stabuli carcerem, scuticas, fustes, vincula, ses-
forem, breuiter omnem illam seruitutis tragediam,
cui se vltro addixit, dum fortis viros imitatus, impē-
fius hostem vlcisci studet. Quanto optabilior mu-
scarum & auicularum vita ex tempore, soloq; natu vita optabili-
rae sensu degentium, modo per hominum insidias lis-
ticeat, quæ si quando caueis inclusæ, assuefcant hu-
manas sonare linguis, mīrum q; a nativo illo nito-
re degenerēt, adeo modis oībus lætius est qd' natu-
ra condidit, qd' fucauit ars. Proinde nunq; satis
laudarim, Gallū illū Pythagorā, q cum vnuis om̄ Gallus
nia fuisset, philosophus, vir, mulier, rex, priuatus,

MORIA

A. miseros
ac laborio
sos.
A. insoritē.

De fatus
naturalibus

piscis, equus, rana, opinor etiā spongia, tamē nullū animal iudicauit calamitosius hoīe, ppter ea quod cetera omnia naturae finib[us] essent contēta, solus homo sortis suæ limites egredi conareſ. Rursum inter homines, idiotas multis partibus anteponit doctis ac magnis. Ab hoc Gallo mihi nō dissentire videt H[omerus], nuga pater, qui cū mortalis omnis subinde Λειχωδή καὶ μοχθηρούο appellat, tū Ulis sem illū suū sapientis exēplar, saepenumero Λύσκου vocat, Paridē nūsc̄, nec Aiacē, nec Achillē, Quā ob re id tandem? Nisi q[uod] ille vafer & artifer, nihil nō Paladis cōsilio agebat, nīmūq[ue] sapiebat, a naturae duciū q[uod] longissime recedēs. Ut igit[ur] inter mortales ī longissime absunt a fœlicitate, q[uod] sapientiae studēt, nimis hoc ipso bis stulti, q[uod] hoīes nati cū sint, tamen obliiti conditōis suæ, deoꝝ immortalium vitam affestat, & gigantū exemplo, disciplinarum machinis naturae bellū inferūt, ita q[uod] minime miseri videntur ī, qui ad brutorū ingenium, stulticiāq[ue] q[uod] proxime accedunt, neq[ue] quicq[ue] vltra hominē moliunt. Age experiamur num hoc quoq[ue] non Stoicis enthyme matis, sed crasso quopiam exemplo queamus ostendere? Ac p[er] deos immortales est ne qc̄q[ue] sc̄elici? isto homī gñe, quos vulgo Moriones, stultos, fatuos, ac bliteos appellat, pulcherrimis vt æqdem opinor cognominib[us]. Rem dicā, prima fronte stultā fortassis atq[ue] absurdā, sed tñ vnam multo verissimam. Principio vacāt mortis metu nō mediocri p[ro] Iouem malo. vacāt cōsciētiae carnificina, nō territāt[ur] manū fabulamētis, nō expauescūt spectris aut Lemnib[us], nō torquēt[ur] metu impēdentiū malorū, non spe

ERASMI.

futuro& bono& distenduntur. In summa non dis-
ceratur milibus curarum, quibus hec vita obnoxia
est, non puden&unt, non verentur, non ambiunt, nō
inuident, non amant. Deniq; si proprius etiā ad bru-
torum animantium insipientiam accesserint, ne pec-
cant qđem auctoribus theologis. Hic mihi iam ex-
pendas velim stultissime sapiens, quo vndiq; solli-
citudinib; noctes diesq; discrutietur animus tuus:
congeras in vnum aceruum, vniuersa vitæ tuae in-
commoda, atq; ita demum intelliges, quantis ma-
lis meos fatuos subduxerim. Adde huc, q; non so-
lum ipsi perpetuo gaudent, ludunt, cantillant, ridēt
verū tam ceteris omnibus, quo cūq; se se verterint,
voluptatem, iocum, lusum, risumq; adferunt, velut
in hoc ipsum a deorum indulgentia dati, ut huma-
næ vitæ tristiciam exhilararent. Vnde sit vt cū alijs,
in alios varius sit affectus, hos omnes ex æquo tan-
q; suos agnoscant, expetant, pascant, soueant, com-
pleteantur, succurrant, si quid acciderit, impune per-
mittant, quicquid vel dixerint vel fœcerint. Adeo-
q; nemo illis nocere cupit, vt feræ quoq; belluæ ab
illorum iniuria temperent, sensu quodam innocen-
tię naturali. Sunt enim vere sacri dijs præcipue mi-
hi, ideoq; non iniuria hunc honorem om̄es illis ha-
bent. Quid quod summis etiā regibus adeo sunt
in delicijs, vt nonnulli sine his, necq; prandere, nec
ingredi, nec omnino vel horam durare possint. Ne
q; vero paulo interuallo, hos bliteos suis illis tetris-
cis sophis anteponunt, quos tamen ipsos aliquot
honoris gratia solent alere. Cur autem anteponant
nec obscurum arbitror, nec mirum videri debet, cū

D

MORIA

Sapientes illi nil nisi triste soleat adferre principibus
suaq; doctrina freti, non vereant aliquoties auricu-
las teneras mordaci radere vero. Moriones aut id pa-
stant, quod vnu vnde cūq; principes modis omnibus
aucupatur, iocos, risus, cachinnos, delicias. Iā
accipite & hāc non aspernandā stultorē dotem, q; so-
li simplices ac veridici sunt, qd aut veritate laudati-
us. Q; ēm Alcibiadeū apud Platonem puerbi-
um, veritatē vino puericiæq; tribuit, tamen omnis ea
laus mihi peculiariter debet, vel Euripide teste, cu-
ius extat illud celebre de nobis dictū. μωρὸν γάρ μω-
ρὸσ λέγει. Fatuus quicqd habet in pectore, id & vul-
tu præ se fert, & orōne pmit. At sapientū sunt duæ
illæ linguae (vt idem meminit Euripides) quarū al-
tera verum dicunt, altera, quæ pro tempore iudicarint
oportuna. Horū est nigræ in candida vertere, & eodē
ex ore frigidū pariter & calidū efflare, longe q; aliud
conditū habere in pectore, aliud sermone singere.
Porro in tāta fœlicitate, tamen hoc nomine princis-
pes mihi vident infœlicissimi, quod deest a quo ve-
rum audiant, & assentores p amicis habere cogun-
tur. Sed abhorret a vero principū aures, dixerit alii
quis, & hac ipsa de causa sapientes istos fugitāt, qd
vereant ne q; forte liberior existat, q; vera magis q;
iucunda loq; audeat. ita qdē res habet, inuisa regibus
yitas. Sed tamē hoc pmi mire in fatuis meis vnu ve-
nit, vt non vera modo, verū etiam apta conuicia cū
voluptate audiant, adeo vt idem dictū, quod sia sa-
pientis ore pficiscat, capitale fuerat futurū, a Mois-
one pfectum, incredibilem voluptatem pariat. Ha-
bet enim genuinam quandam delectandī vim veri-

Stultus em
stulta logi.

ERASMI.

tas, si nihil accedit quod offendat. verum id quidē
solis fatuis dīj dederūt. ijsdem ferme de causis hoc
hominum genere mulieres gaudere solent impens
sīus, vtpote ad voluptatē & nugas natura, ppenſio
res. Proinde quicqd cum huiusmodi facit arint, eti
am si nōnunq̄ serium, illæ tamen iocum ac lusum
interpretant, vt est ingeniosus pſertim ad p̄texenda
commiffā sua, sexus ille. Igit̄, vt ad fatuoꝝ ſc̄licita
tem redeam, multa cum iucunditate peracta vita,
nullo mortis vel metu, vel sensu, recta in cāpos ely
ſios demigrant, & illicpias atq; ocoſas animas lusi
bus suis delectaturi. Eamus nunc, & quēuis etiā
ſapientem, cū huius Morionis forte cōferamus. Fin
ge quod huic opponas exemplar ſapientiæ, homi
nem qui totam pueritiam atq; adolescentiā in pdis
cendis disciplinis contriuerit, & ſuauissimā vītē par
tem ppetuis vigilijs, curis, ſudoribus p̄diderit, ne in
reliqua qđem om̄i vita, vel tantillū voluptatis degu
ſtarit. ſemp parcus, paup, triftis, tetricus, ſibi ipſi ini
quus ac durus. alijs grauis & iuifus, pallore, macie,
valitudine, lippitudine, conſectus ſenio, canicieq;
multo añ diē cōtracta, añ diē fugiens e vita, qđq; qđ
refert, qñ moriaſ iſtiuſmodi q nunq̄ vixerit. Habe
tis egregiā illā ſapiētiſ imaginē. At hic rursus obgā
niūt mihi, ἐΚΤΙΣ ΣΩΘ ΒΔΤΩΧΟΙ. nihil inquit mi
ſerius iſania, Sed iſignis ſtulticia, vel iſanię pxi
ma eſt, vel iſa potius iſania. Quid em̄ aliud eſt iſ
ſanire q̄ errare aīo; verę iſti tota errāt via. Age hūc q̄
q; ſyllogiſmū diſſipemus, muſis bñ forūnantibus.
Argute qđem iſti. Verum quemadmodum apud
Platonem docet Socrates, ex vna Venere ſecta, du

Stoicē ranc

D ij

MORIA

as. & ex uno Cupidine dissecto, duos faciens. itidē
& istos dialecticos decebat insaniā ab insania distin-
guere, si modo ipsi sani videri vellēt. Necq; em̄ p̄tin⁹
omnis insania calamitosa est, alioq; non dixisset Ho-
ratius, An me ludit amabilis insania. necq; Plato, po-
etae, vatū, & amantiū furorem, inter p̄cipua vitę bo-
na collocasset. Nec vates illa labore Aeneę vocasset
Insaniae du-
plex genus. insanū. Verę est duplex insaniae genus, alterę quod
ab inferis dirae vltices submittit, quoties immis-
anguibus, vel ardorem belli, vel inexplebilē auri si-
tim, vel dedecorosum ac nefariū amorem, vel parri-
cidium, incestum, sacrilegiū, aut aliam id genus pe-
stē aliquā in pectora mortalium inuenit, siue cum
nocentē & conscientium animū furijs ac terriculorū fas-
cibus agūt. Est alterum huic longe dissimile, quod
videlicet a me p̄ficiunt, omniū maxime exoptant
dū. Id accedit quoties iucundus qdam mentis error
similē anxijs illis curis animū liberat, & multijus-
ga voluptate delibutū reddit. Atq; hunc mentis ers-
torem, ceu magnū quoddam deoꝝ munus, ad At-
ticum scribēs optat Cicero, nimisq; quo tantorū ma-
iorū sensū carere posset, neq; p̄perā sensit Argivus
ille, q; haec tenus insaniebat, ut totos dies sol⁹ deside-
ret in theatro, ridens, plaudens, gaudens, q; cedes-
ret illis miras agi tragædias, cum nihil omnino age-
ret. Cum in cæteris vitæ officijs p̄be sese gereret, iu-
cundus amicis, comis in vxore, posset q; ignoscere
serius, Et signo lesæ non insanire lagenę. Hunc vbi
cognatorū opera datis pharmacis morbo leuasset,
sibiq; iam totus esset redditus, hūc in modū cū ami-
cis expostulans, Polme occidisti amici. Nō scruas-

ERASMI.

stis ait, cui sic extorta voluptas. Et dēptus p vīm mē
tis gratissimus error. Et merito qdē, errabāt em īpī
atq̄ elleboro magis opus habebāt, q tam fōlicem
ac iucundam īsanam, ceu malū aliquid existima
rent potōibus expellendā. Qz q̄ illud æqdē non
dū statui, num quis sensus, aut mentis error īsanę
nomine sit appellandus. Necq; em si cui lippieti, mu
lus asinus esse videat, aut si qs idoctū carmē veluti
doctissimū admirerē, is continuo videbitur īsanire.
Verz si qs non sensu tantū, sed animi iudicio fallat,
idq; ppter vīstatū morē ac ppetuo, is demū īsanę cē
sebit affinis esse, velutisi qs quoties asinū audierit
rudentē, arbitrē se se mīros symphoniacos audire,
aut si qs paupculus infimo loco natus, Cr̄sum Ly
doꝝ regem esse se credat. Sed hoc īsanę genus, si
(quemadmodū fere fit) vergat ad voluptatē, nō me
diocrem delectatōem adserit, tum ijs q eo tenent, tū
illis qbus est hoc animaduersum, nec tamen eodē
īsanunt. Nam hæc īsanę spēs multo latius pa
tet, q̄ vulgus hoīm itelligit. Sed vicissim īsanus ī
sanū ridet, ac mutuā sibi voluptatē inuicē ministrat.
Neq; raro fieri vīdehit, vt maior īsanus, vehemē
tius rideat minorē. Verz, hoc qſq; fōelicior, quo plu
ribus desipit modis Stulticia iudice, modo in eo ge
nere īsanę maneat quod nobis est peculiare, qd̄
vſq; adeo late patet, vt haud sciam, an ex vniuersa
mortaliū summa, quēpiam līceat repire, q omni
bus horis sapiat, quiq; non aliquo īsanę genere
teneat. Qz q̄ hoc m̄ interest, q cucurbitā cum videt
mulierē esse credit, huic īsanō nomen ponūt, ppte
rea q p paudis id vſu veniat. Vc̄ vbi qs vxos De maritis.

D. iiij

MORIA

De venato
nibus.

rem suam, quā cū multis habet cōem, eam plusq; Penelopē esse deierat, sibiq; maiore in modū plaudit, sc̄c̄l̄c̄ter errans, h̄c nullus insanū appellat, p̄t̄ p̄t̄erea q̄ passim maritis hoc accidere videāt. Ad h̄c ordinē p̄tinēt & isti, q̄ pr̄e venatu ferar̄ omnia contemnūt, atq; incredibilem animi voluptatē p̄c̄s pere se p̄d̄icant, quoties foedum illum cornuū cā tum audierint, quoties canum ciulatus. Opinor etiā am cum excrementa canum odorant̄, illis cynamōsum videri, deinde quae suauitas, quoties fera lanī anda est, tauros & verueces humili plebi lanifare lis̄ cet, feram nisi a generoso secari nefas. Is nudo capite, inflexis genubus, gladio ad id destinato (neq; em̄ quo quis idem facere fas est) certis gestib⁹, certa mēbra, certo ordine, religiose fecat. Miratur interim p̄ inde, ut in re noua circunstans ac tacita turba, pōrro cui contigerit e belua non nihil gustare, is vero existimat sibi non nihil nobilitatis accedere. Itaq; cum isti assidua ferar̄ infectatōe atq; esu nihil aliud assequantur, nisi ut sp̄i p̄p̄emodum in feras degenerēt in interea regiam vitā agere se putat. Est his si millimū genus eorū q̄ insatiabili ædificandi studio flagrant, nūc rotunda quadratis, nūc quadrata rotū dis p̄mutantes. Neq; vero finis ullus, neq; modus donec ad extremā redactis inopia, nec ubi habitet, nec qd edant superest. Quid tum postea: interim annos aliquot summa cum voluptate p̄gerunt.

De aedifica-
toribus

Decalomi-
cis.

Ad quos mihi qdēm pxime vident̄ accedere, q̄ nouis & arcanis artib⁹, rerum sp̄es vertere molitur, ac terra mariq; quintam quandam essentiam ve- nant. Hos adeo lactat mellita sp̄es, vt neq; laborū,

ERASMI.

neq; impensar; vng; pīgeat, mīroq; īgeno semper
aliquid excogitāt, q; sese denuo fallāt, sibiq; iōpis grā-
tā faciāt īposturā, donec absūptis oībus, nō sit
quo iā fornacē īstruāt. Nō desinūt tñ iucūda som-
niare somnia, cæteros pīrībus ad eādē fœlicitatē
animātes. Cūq; iam pīsus oīm spe destituunt, sup;
est tñ vna sentētia, abūde magnū solatiū, in magnis
& voluisse sat est. Ac tū vitae breuitatē īcusant, vt q
magnitudini negocij nō suffœcerit. Porro ale
atores nōnihil addubito, nūt in nostr; collegiū sint
admittēdi. Sed tñ stultū, oīno rīdīculūq; spectaculū
est, q̄ties videmus nōnullos vscq; adeo addīctos, ut
simul atq; strepitū talor; audierint, pīnus illis cor
saliat palpitetq;. Deinde cū sp̄ illīciēte vincēdi spe oī
um facultatū naufragiū sc̄erint, vixq; nudi emer-
serint, q̄suis potius fraudāt q̄s vīctorē, ne s. vīti pa-
graues habeant. Quid cū senes iam & cecutiētes vi
treis etiā oculis lusitat. Postremo cū iam iusta chīra
gra cōtudit articulos, vicariū etiam mercede cōdī-
cūt, q; p se talos in pyrgū mittat. Suaus qdēres, nisi
q̄ hic ludus plerūq; solet ī rabīe euadere, iāq; ad fu-
rias nō ad me pīnere. Cæter; illud hoīm ge/
nus, haud dubie totū est nostr; farinæ, q̄ miraculis rijs & mēda
ac pīdigiosis gaudēt mēdacijs, vel audiēdis vel nar
randis. Nec vlla satietas taliū fabular; cum portens
tuosa q̄dam de spectris, de Lemurībus, de latuīs,
de inferis, deg; id genus milibus miraculor; cōme-
morant. Que q̄ longius absunt a vīo, hoc & credūt
Iubentius & iucūdiore pruritu titillāt aures. Atq;
hec quidem non modo ad leuandum horarum te-
dium mīre cōducunt, verumetiam ad questū perti-
nent pīcipue sacrificis & concionatorib; His rur;

De aleato
ribus.

De stationa-
ribus amato-

MORIA

De sancto
Christo,
phoro.
De sancta
Barbara
def. Erasmo
De s. Geor-
gio.

Indulgētias
taxat

sum ad fines sunt, ijs q̄ sibi stultam qđem, sed tñ lucū
dam p̄suasionē induerūt, futurꝝ, si lignēū aut pictū
aliquē polyphemū Christophorꝝ aspexerint, eo die
non sint perituri, aut q̄ sculptā Barbarā p̄scriptis ver
bis salutarit, sit in columnis e p̄lio redditurus, aut si q̄s
Erasmū certis diebus, certis cereolis, certisq; p̄culis
cōuenerit, breui sit diues euasurus. Iam vero Geor
gium etiā Herculē inuenerūt, quēadmodū & Hisp
polytū alterꝝ, huius equū phaleris ac bullis religio
fissime adornatū tñ non adorat, ac subinde nouo
quopiam munuscule demerent, p̄ huius æreā gale
am deierate, plane regium habet. Nam qd di
cam de ijs, q̄ sibi factis scelerꝝ condonatōibus, sua
uissime blandiunt, ac purgatoriū spatia veluti clepsy
dris, metiunt ſecula, annos, menses, dies, horas, tā
q̄ e tabula mathematica citravllum errorē dimetiē
tes. Aut de ijs, q̄ magicis q̄busdam notulis ac p̄cu
lis quas pius aliḡs impostor, vel animi cauſa, vel ad
questū excogitauit freti, nihil sibi nō pollicentur,
opes, honores, voluptates, saturitates, valitudinē p̄
petuo p̄ſperam, vitam longeuā, ſenectā viridē, de
nīq; p̄ximū Christo apud ſuperos conſellum, quē
tamen nolint niſi admodū ſero contingere, hoc eſt
cum huius vitae voluptates inuitos eos, ac mordi
cus retinenteſ tñ defuerint, tum ſuccedat illę celis
tū delicie. Hic mihi puta negociator aliquis, aut mi
les, aut iudex, abiecto ex tot rapinis vnicō nummu
lo vniuersam vitae lernam ſemel expurgatā putat,
totq; periuria, tot libidines, tot ebrietatiꝝ, tot rixas
tot cedes, tot imposturas, tot p̄fidias, tot p̄ditōnes,
existimat velut ex pacto redimi, & itare redimi, vt iam

ERASMI.

